Solis Septentrionalis PERIGAEUM:

Vel in invictiſsimi præpotentiſsimiq;

CAROLI.

D. G. *RE. SUECIARUM, GOTHORUM, VANDALORUM, &c.*

Incredibiles Per Regna POLONORUM Succeſſus.

Heroicum Triumphale.

LONDONI,
Typis R. H. *væn. per* Ed. Blackmore *in Cæmet. D.* Pauli.
An. Dom. 1656.

PRÆLUDIUM

CAROLI



Solis Septentrionalis Perigæum.

CAROLE Sceptrorum Fulgur,
venerabile Sydus,
Arctoæ Diadema *Plagæ*!
quis tanta moventi
Eriget imbelles humeros? vos turba *Novena*
Æonidum Succincta choris, advertite vultus,
Et faciles in cæpta animos, dum prælia *Regis*
Imparibus referam numeris, & Carmine Curto
Ordiar, *Arctoi* ſublimia nomina *Sceptri*.
O *Caput* auguſtis longum dotale triumphis
Signatu SUPERUM *Cui* Si non jura dediſſent
Sanguinis, Imperium poterat *virtute* mereri.
Marceſcant veterum laurus, *Romæq*; Quirini
Conticeant, cedantq; Tuis AUGUSTE Triumphis;
Auſpice Quo, creſcunt SUEONES, *Boreæq*; popelli
Belligeri tanto gaudent ſub Sole renaſci.
Nam veluti vaſtos ſpatijs Immanibus orbes
Flammiferiq; rotat ſublimia corpora mundi
Vis occulta *Poli*, noſtriſq; illapſa medullis:

Sic *Tanus* Immenſum, Quem *Shecia* conficit orbem,
Totq; regit populos *Genius*, grandeſq; per artus
Spiritus it magnoq; Sagax ſe corpore miſcet.
Unde velut Serpens *Poſita* qui pelle Senectâ
Luxuriat Suecuſq; Tuis juveneſcet habenis.
Qui ſuperos olim ſtrenuis cervicibus axes
Nutantemq; globum, & trepidum fulcivit *Olympum*;
Ficta quidem fabella fuit. Si vera fatemur,
Tu novus *Alcydes* mundi; Quem vidimus omnes
Nervoſos humeros patrio ſupponere mundo
Imperijq; vices tanti, & molimina Regni
Ferre manu, nullaq; quati formidine fortem.
O mihi Si liceat Solitis intendere nervis
Barbiton & cunctis fas Sit *Te* dicere Terris;
Aſſurgam tibi *Summe Ducum* ſuper *æthera* raptus,
Celſaq; Gustavicis tranſcendam Sydera Geſtis.
Sed quis virtutes, & tanta *Chariſmata* pandet
Exiguo Rex magne ſtylo reſonaverit? Ingens
Illud opus, Calamiq; labor melioris origo.
Scilicet innumeris Te ambivit dotibus *æther*
Prodigus, incluſitq; uno tot dona *Theatro*
Sed tamen ante alios pulchris *Prudentia* Pennis
Te petit, a teneris *prudentia* cognita cunis,
Conſcia præteritæ & ſortis præſaga futuræ

Arbitra

Arbitra difficilis cauſæ, *Prudentia* Centum
Prædita luminibus, longis venerabilis annis
Mille modis edocta vias inſiſtere *Recti*,
Mille modis edocta *mali* depellere formas,
Et cæptis inſtare tuis, fortemq; periclis
Objectare animum dubijs non fidere rebus,
Nec malè conſultos vulgi Spreviſſe furores
Nec metuiſſe nimis; capit a *diſcrimine* laudis
Incrementa ſuæ, & fortunæ libra ſecundæ
Iratis didicit Seſe *ſubmittere* fatis.
Hæc *Regina* Tuis *Regum* invictiſsime cunis
Præſtitit, & Tibi dum *Lacheſis* proſperima ducit
Stamina, fatidicæq; legunt ventura *Sorores*,
Tempora prævalida jam tum ratione Subegit
Devotam *Sceptris* animam. Quæ nata fruendis
Regibus hos ipſos *Tibi* promittebat honores
Quos geris, & ſacro cunabula merſit in oſtro,
Faſciaq; irrubuit teneris circundata membris.
Cui ſic orſa loqui, Certis *Puer* inclyte dixit
Auſpicijs ordire *diem*. Tibi magna Parantur
Præmia: Secretis *Regum* ſervaris, & in Te
Inclinata ſuis requieſcet Suecia magna
Ponderibus; *Cauſaſq;* ducum, populiq; Patrumq;
Et mundi dirimes *lites*. Tibi Templa Tonantis

Debebunt, Servata manu, *Cœliq*; miniſter
Et columen *Telluris* eris. Sub *præſide* tanto
Caſtalij largis manebunt fontibus amnes,
Antraq; *Pegaſidum*, & doctæ *Tritonidis* arces
Euboicæq; Tibi condent *oracula* Rupes
Deſierat. Tunc chara ſoror *Conſtantia* juxta
Pandit labra, latus geminis ſuffulta columnis,
Cernite vos CAROLUM tantumq; ſtupeſcite Regem,
Quem non Impietas Secli; non devius error
Tramite deflexit Recti, non Improbus ardor,
Non queruli in Dominos cives, furor irave fervens
Livoris facibus vitijve afflata veneno:
Non conjuratæ totis ſe opponere Caſtris,
Agminibuſve manus, non circumſtantia tela
Audaceſq; minæ ſolitâ ſtatione movebunt,
Nempe Caput Sacrum ferient Impune ruinæ
Tempeſtaſq; ſuis concuſſa tumultibus excors
Concidet, & cæco fruſtra Bellona furori
Obſtrepet & Caſsis Rabies graſſabitur auſis
Nec Siluit ſacra *Pietas* circundata Pallâ,
Macte animi *Regum* Rector! Tibi vaſta recludam
Limina *cœlicolum*, ſupremaq; Tecto TONANTIS
Et Superi Secreta Globi. Spectabilis Aris
Solues vota *Polo*, celſo juratus *Olympo*

Fœlix

Fœlix *Imperij* facies Quod prima tuetur
Relligio Superum Pietaſq; potentior armis.
Hæc eſt conſilijs quæ longe adverſa profanis,
Fas animi, Sacroſq; probat devota receſſus
Mentis, & innocuâ populum delubra focoſq;
Simplicitate beat; dum Pravo intacta veterno
Perſtat & intacto ſtabit per Secla tenore.
Et veluti fauſtum ſpondent mortalibus omen
Sydera, cum Summa Cœli ſtatione feruntur,
Nec jam radit humum *Titan*, ſed celſior ardet;
Non aliter *Lucina* ſuis Te ſuſtulit ulnis
Venturum Imperio columen venerabile Regni
Sydus, & a teneris vidit vagitibus *Arctos*;
Spes crevisse novas, & tutius omnia ferri
Te *Typhy* moderante Ratem, totieſq; Rogatus
Suſcipiente manu patrij moderamina Sceptri.
Nec quicquid vulgare Sapis, faſtigia Rerum
Tranſcendis, gradibuſq; vehit Te gloria celſis
Atq; Aditus Sapientum infert, ubi tota Receſſus
Pandit Cirrha Suos, & ſe Romana vetuſtas
Explicat, Argivæq; patent Delubra Minervæ
Sic graderis Rex magne ſciens, cognataq; Cœlo
Mens magnum molitur iter, vis noſſe Penates
Queis habitas, Quâ vivis humũ, Queis tingeris undas

Quâq;

Quiq, Cales flammã. Nec enim præſcribere mundo
Ignarum; mundi deceat; Tu Sydera voluis,
Ætheraq; immenſum, & Suſpenſas fornice Stellas
Ut Regnis ſua fata Leges; quis Sopitet orbem
Conſpectus, facieſq; Poli; quis mutet habenas
Stellarum oppoſitis radians fulgoribus Ignis,
Qua face Seditio ſurgat, ſolioq; Potentes
Excutiat gravis ira Peli; Quæ Sceptra ſecundent
Lumina, Quæq; ſuis, Rectores uniat arcte
Civibus *Arcthuri* Statio: Per Cuncta Polorum
Incedis Spatia, & Saturni inamabile Sydus
Regibus adverſum damnas, Plebiq; malignæ
Præcipitiq; favens. Iuſtis victricia Cauſis
Cenſes Arma Capi, & ſtringi ſecurius enſes
Cum Populi fortuna labat, vel turbine fati
Vicinis metuenda venit. Tu Spernis iniqui
Bellatoris opus; Tibi nil deformius Illo
Cui Ferrum pro jure ſuum eſt, Calcataq; Scutis
Obruitur Pietas, & Belli gloria vis eſt.
Sic omnis Natura Ducem Te format & orbis
Pars convexa Tuos monitrix deſendit in uſus.
Mandatrix operum conſummatrixq; laborum.
Hinc Tibi qua melius Gentes ratione regantur
Incumbit ſtudium, Regniq; expendere formas

Ut ſua libertas *Graias* perverteret urbes,
Et dominis oppreſſa malis *Reſpublica*, quam ſub
Rege *Lacon* Solo ſteterit ſecurus, & audax
Aſſyrius, *Meduſq́* potens, & *Perſa* feroxq;
Indus, & *Eoo*, ſubjecta potentia *Phœbo*.
Sic callē ingrederis laudum, & quæcunq; potentes
Virtutum momenta decent, & nomina Recti
In Te cuncta inerant, & pulchro fœdere juncta
Certatim fecere *virum*, fecere *ſtrategum*.
Surge Pater SUEONUM, *Gothici* tu ſurge Popelli
Gloria, longinquæ & metuant tua claſsica Gentes
Qua Tellus, Pelaguſq; patent. Procul horreat *Arma*
Boſphorus, & *Phariæ* potator fervidus undæ,
Et vagus *Euphrates*, toſtuſq; caloribus *Afer*,
Et *Dis* auroræ Solium; nec deinde relinque
Par decus Armorum cuiquam ſperare nepotum.
Ipſe coruſcantem *Mavors* tibi commodet enſem
Ignoroſq; metus ferrata cuſpide vultus
Abdat, & æratis ſtringat Thoraca Catenis
Talis inexpertum *Peleus* formavit Achillem,
Hectora *Phyllerides* talem videre *Mycenæ*
Atridas miſeræ fatis præludere *Troiæ*.
Sic & *Biſtonicam* torſit *Mars* parvulus haſtam,
Duravitq; leves glaceali frigore Plantas,

Brachiaq; & digitos primos intendit in arcus.
Jam ſpumantis equi fodiens calcaribus armos
Anticipat levitate Notos, curruſq; volantis
Oenomai gauder præuſtos ſcandere Montes
Annitiq; jugis, Gelidos torrentibus artus
Abluere, & nimeos inter *Cauroſq;* Notoſq;
Spernere cœlorum rabiem. Quos Sparta labores
Suſtinuit patiens, ſubiit generoſa juventus
Gustavi & canis facies illæſa pruinis
Pertulit adverſæ mordacia frigora Brumæ.
Sic *Patruo* longi per tot diſcrimina Belli
Semper eras Dux magne *Comes*. Cũ torva ruentes
Accendit *Bellona* Duces, lætiſq; micantes
Implicuit furibunda Tubis, concurrere turmis
Comminus, & nudis inter fulgentia telis
Agmina, qua globus ille virum denſiſsimus urget
Ferro aperire viam, lituis Impellere Segnes,
Hìc Sparſas glomerare acies, hìc pandere junctas,
Lunatà nunc ire viâ, nunc ſtare rotundâ,
Nunc revocare ſuos, nunc tutis fidere vallis
Dexteritas tibi nota fuit. Tibi ſæpe paratæ
Sordebat Epulæ, ſomnumq; obrupit *Enyo*
Et vigilem clypeo recubantem vidit, & acres
E galeâ potare nives, & fonte remotum

Illimi fœdas avidè ſorbere paludes.
Quantus erat ducibus Fervor quæ cura ſequendi
Omnibus, attoniṭos quoṭies veherere per agros
Et circumpoſitis Exercitus undiq; Caſtris,
Fulmineoq; Seges ſtaret *Mavortia* vultu
Te ſtupuere Ducem veluti cum *Lucifer ardens*
Flammifero cum *Sole* micat junctuſq; TONANTI
Mars radiat, ſociantq; ſuos tot ſydera Greſſus.
Te Præeunte, ſequi mens omnibus; ardua pubes
Induitur ferro, fidoq; accingitur enſe,
Ruſticus ad gladios poſitis feſtinat aratris,
Apparat & *clypeum*, clypeo deſuetus & haſti:
Tunc *Telis* mutare *Togas*, frameamq; rotare
Exultat *Clerus* non hos formatus in uſus
Tantæ molis erat vel *veſtri* nominis umbra
CAROLE Qui *Patrui* celſos Imitaris honores
Virtuteſq; pari paſſu, Quem, redditus aſtris
Hæredem voluit, (poſtquam REGINA coronam
Excuteret CHRISTINA gravem, faſceſq; relictos)
Immenſam molemq; humeris, & nobile pondus
Impoſuit, voluitq; tuis cervicibus *arcton*
Inniti, & tanto ſe *Succeſſore* tueri.
Tu vigiles verſans per tot diſcrimina ſenſus
Omnia perpendens ſolers, hinc ardua belli

Hinc momenta Togæ; quantis ſe *Suecia* cauſis
Vindicet & pulſo nolit concedere *Regi*.
Exeat in gentes lux hæc ſublimior in quà
Arma ſimul trabeaſq; capis, famæq; futuræ
Fundamenta locas. Coeunt cum Faſcibus enſes
Cum *Caſtris* Civile *Forum* : cum milite Lictor,
Irradiatq́; Togas Phaleræ, Phaleraſq; ſecures.
Te Legum *Cuſtode* ſibi ſolennia ſcripſit
Omina *Libertas*, validiſq; innexa catenis
Frenduit, & ſervile jugum furioſa *Tyrannis*
Tranſtulit in *Moſci* latebras *Hunnumq́*; ferocem,
Aſſuetumq́; Scytham damnis. Aſtræa ſeveros
Leniit æqua Patres, & formidata nocente
Corripuit terrore reum. *Prudentia* factis
Emicuit Grandæva tuis, intacta refulſit
Nec temerata *Fides*. Vertit vigilantia quavis
Lumina parte labor. Sublime *modeſtia* culmen
Inflexit, poteraſq; minor jam *Rege* videri
Et meritis *Regumq́*; omni conſpexior oſtro.
Neſcio quid primum mirer. Quod turbida Regni
Æquora, & indomitos fluctus, tumidoſq; tumultus
Straueris, & placidis curſum direxeris *Euris*.
Quod nihil in tantâ rerum formidine ſceptris
Feceris indignum tantis; quod commoda miſsis

Undiq;

Undiq; *Legatis* fueris Reſponſa loqutus,
Totq; tibi cautis ſociaris fœdera pactis
Externo Imperium Gaudens offere favori
Hinc te indulgentem venerabitur ipſa Parentem
Anglia BULSTRODI auſpiciis, Tibi-juncta ſub uno
Fœdere perpetuo & ſic cæmentata tenore.
Hinc *Batavus* tibi magnus adeſt. Hinc *Gallia* voces
Audit læta ſuas celereſq; imitantia lapſus
Verba probat. Faris magno vernacula *Ruſſo*
Impavidoq; *Getæ*. Loquitur Tibi *Finnus*, & aſper
Lappio, conſocias *Cimbris* orantibus ora,
Et quot verba facis, linguis tot gentibus ortus
Crederis, & patrias audire & reddere voces.
Ipſe tibi præiens dictas conſulta *Senator*
Quæ peragas *Miles*. Scribis facienda cohorti,
Et pelago mandas Claſſes, terræq; phalanges,
Callidus evitare dolos, decernere quicquid
Armatæ poſcunt acies, atq; indiga Rerum
Militiæ monumenta domus. Quin finibus exis,
Et vicinorum motus, & Robora Geſtis
Complecti, atq; oculis etiam longinqua tueri.
Quid moveat *Ganges*, quid ſævam terreat *Hellen*,
Quæ fortuua *Tago*, quæ *Cymbri*, aut Cæpta *Sycambri*
Noviſti motus, & primis compremis orſis.

Scis quâ normâ *Italus*, qua velox militet arte
Sauromata, ut pavidis *Batavorum* vinea muris
Adreptet tripliceſq; obeunt munimina foſſæ,
Omnia quæ proprios callens convertis in uſus.
Carole cuncta domi poſt hæc documenta dediſti
Tecum crevit amor, dominoq; tenacius *Arctos*
Hærebat, flagrans animis concordia vulgi
Totâ mente favet. Longum præfulgurat aula
Armatis laribus, ſpretoq; palatia faſtu
Vulgares ſumunt habitus. Cum cive laboras
Afflicto, pateriſq; miſer, gaudeſq popellus
Cum tranquillus erit, redeunt arteſq; Scholæq;
Et *ſtudijs* nova templa patent, non præmia *Muſas*
Deſtituunt, ſed colla levant contempta camenæ,
Seq; inter ſcopulos, & devia ſaxa, lacuſq;
Et *Dryadum* ſaltus ſpectat Doctrina renaſci.
Sed vatem me Bella vocant; patulæq; repoſcunt
Te Galeæ, clypeoſq; truces attolit in altum
Pugnatura Phalanx, & formidabile murmur
Inchoat. Inſonvere Tubæ, lituiq; feroxq;
Parma micant, tolluntq; meos furialia cantus
Claſsica: Sanguineis alte ſubnixa *Cothurnis*
Melpomene tragico perfundit Caſtra boatu,
Atq; atrox meditatur opus. Vos pandite cunctæ

Aonides

Aonides vos tantarum veſtigia Rerum
Stringite & Hybernis Regem deducite Regni
Partibus, & medio victorem ſiſtrite mundo.
Bellipotens Tu Caſtra locas, hoſtemq; repellis
Finibus, & proprijs arcens incendia terris
Cymbrorum popularis aquas. Cecidere Carinæ
Vindice te adverſæ; nam cum diſcrimine longo
Vindiq; *Teutonicis* horrerent littora Caſtris,
Codanumq; ſuas in te transfunderet iras.
Æquor, & adverſæ vomerent nova fulmina Ripæ,
Tu miſeris ſolamen eras, fortiq; levabas
Naufragium commune manu. *Tu* tecta, penates,
Et peritura ruo reddebas Rura colono.
Illic Oceani ſtagnis excita fugaſti
Carbaſa, Belligeraſq; rates, tot *Baltica* fundens
Tranſtra, Triumphator Pelagi, ceu celſa *Tonantis*
Mens erat ut *Terrâ* ſic ſurgas victor in *undis*,
Et vaſtis domineris aquis, & blanda cieret
In veſtros *Elementa duo* Natura triumphos.
Euge triumphales attollas maxime laurus,
Maime Terrrarum *Cæſar*, columenq; *Trionum*.
Euge tuos *Britones* charis complectier ulnis
Aſſueſcas, pedibuſq; hoſtes calcare ſuperbas.
Gaudia de tanto quis non communia credat

Principe

Principe in extremi nato ſolamina mundi.
Nam veluti trepidis promittunt proſpera Terris
Chaldæi, Babylonq; ſagax cum celſius aſtra
Cœlicolum per tecta ruunt, ſummoq; coruſcant
Vertice, nec radunt humilem declivia *Veſtam.*
Haud aliter poſtquam populo ſublimior omni
Exoritur *Regum* Soboles ac naſcitur orbi,
Exultant pariter Gentes, & Sceptra ſerenant.
Nobilitas nec ſola ſatis; Sapientia Tete
Præfecit, docuitq; altas componere gentes.
Sed Tua quid parvis conor præconia metris.
Geſtaq; in Immenſo vix componenda Papyro?
Si laudes recitare velim, pro quanta paterent
Æquora, deſtituent feſſam Præconia mentem.
Non *Helicon* ſatis unus erit, non *Caſtalis* undis
Sufficeret totis, quæ tum primordia ſumam?
Anne pueritiam memorem? vigor inclytus ipſi
A puero, teneriſq; aliquid fulgebat in annis
Quod Domini *Regiſq;* foret; Spondebat honores
Eloquij clemens gravitas, & nixa juventus
Conſilijs *Patrui* primo ſe protinus ævo.
Protulit Exemplum. Nam tunc Suffragia Gentis
Æmeruit plauſuſq ſuæ, crevitq; *Potentum*
Judicijs, votiſq; erexit grandibus arma.

Inde

Inde per egregias migrans circumtulit artes
Ingenium, veriq; modos, Præceptaq; Recti
Inſtituit, nituitq; ſuis *Induſtria* Donis.
Tunc animus fuit *Arctoos* evoluere motus,
Ire per Annales *Boreæ*; quibus arſerit armis
Normannus, Danuſq́; quibus *Colmaria* flammis
Scrutari, & victæ miſeranda incendia *Burgæ*.
Quæ *Gothoci* populi? *Sueonum* quæ Gloria quondã
Cum procul *Auſonias* populatus *Vandalus* urbes
Victor, & attonitum turmis, tremefecerat orbem.
Hæc Rex magne legis, callens quid Secula dignum
Ediderint tranſacta, togæ Bellive labore.
Omnia quæ propriòs prudens convertis in uſus.
Nec minus *Euclydæ* numeros, ignotaq; Quanti
Metiris ſpatia, & rigidis diſtincta Figuris
Signa legis, *Martiſq́*; levi Spectacla papyro
Pandis, & armatas diſponis more Phalanges:
Quâq; urbes virtute ruant; Quæ linea muros,
Quæ feriat directa Domos, ut linea ſerpat!
Tutius & timidis, Subrepat Machina Portis.
O quoties ſtricto luſit vis bellica ferro
Et gladios vibrare Sagax invenit in armis
Mille nocendi artes nocituraq; vulnera Caute
Intulit, atq; hoſtem ferijt ſecura malorum

Dextera, & attento rabiem mucrone fefellit.
O quoties trepidis feruens in vallibus ibas
Bellipotens, laxiſq; volans demiſſus habenis,
Et quoties, rapidos ibas *Rex* magne per agros
Teutonidum Auſtriacas Implens Terroribus urbes
Sublimi *Cataphractus* Equo. Tunc aſpera ſquamis
Agmina, ludus erant. Circum Tentoria *Phæbe*
Mirata eſt errâſſe *Ducem*, Noctiſq; per umbras
Ducere Sollicito veſtigia maſcula greſſu;
Terribiles inflare Tubas, diſponere vallos
Bellonæ calcare vias; diffringere Portas,
Obruere Hoſtiles acies, circundare Caſtra
Fraudibus; hâc primum exercebas Indole Luſtrum.
O benè fœlices *Gothos*, tantoq; *Sueones*
Principe. Qui Rector Rationis, *crimina* cuncta
Subjugat Imperio; Qui non molimina vulgi
Aut nimiũ timet, aut Spernit: Sub pectore magno
Spemq; metumq; domans victor, nec Sorte ſecunda
Tabidus, adverſam rectâ ratione repreſſit.
Hoc Regis noſti eſſe DEO ſubmittere faſces
Non Homini; Legeſq; Sequi quas Ipſe creavit,
Credere nec licitum niſi quod permittit *honeſtum*:
Nec licuiſſe putans quæ ſola *licentia* clamat
Poſſe Duces. Tunc Arma probas cum publica juſte

Cauſa dolet, tunc arma fugis cum fœdere firmo
Stat ſecura ſalus. Fines virtute tueri
Principis officium credis, nec poſcere Bello
Quæ levis ambitio, & dominandi cæca libido
Suggerit. *Aſtræâ* propugnas vindice muros,
Excubijs, teliſq; minus; vænalia Jura
Et Fora Tu damnas fœdum referentia lucrum.
Intemerata *Fides* linguæ eſt, nec caſibus hærens
Reſcindit promiſſa dolis; ſine crimine gaudes,
Et ſimulas ſinẽ fraude tamen, noſcendaq; nunquam
Diſsimulas, prudenſq; premis Secreta ſilendo.
Quæris amicitias; Nec cunctis fidis amicis;
Utq; tibi *mens* magna, *manus* ſic larga, nec arca
Oppreſſas male ſervat opes; Sed recta fruendi
Temperies, toro diſponit commoda Regno:
Nec tua veſano plorant æraria luxu,
Nec ſordes Contemptus amas; auliſq; domoq;
Trudis *Avaritiam*, rabiemq; expellis habendi
Te ſincera fides, nec fallere docta Tiaras
Poſsidet, & nullo patitur palleſcere fuco
Candida Symplicitas Toto tua didita Regno
Fama viget, fidæq; vehit commercia linguæ
Non illam inſanus livor Subvertit, & horror,
Non fortuna furens adverſorumq; procellæ.

Hoc *Duce* vitæ non mutes animum, nec nobilis auræ
Ingenium popularis amas; vultumq; ſecundis
Adverſisve teras alium; ut *Marpeſia* cautes
Fluctibus opponit latus inviolabile, conſtas
Immotus vaniſq; negas Rumoribus aurem.
Hinc Septem *Rex* Ipſe potens Diadema *Trionum*
Aſſeris, & longe legum virtute tueris.
Hinc quos Imperio poteris frænare *Monarcha*
Conſiliis montiſq; Regis, dumq; omnia flectis
Per Te quiſq; ſuos ſentit creviſſe triumphos.
Per Te jura dari ſinit, & præcepta ſubactis
Gentibus, atq; Tuo faſces committit amori.
Per Te neglectis ſurgent nova Præmia Muſis,
Omnibus, & ſurgent neglectis vatibus artes,
Diffundetq; ſuos prægnans Doctrina Penates.
Vox comem; Inceſſuſq; gravem; Reverentia vultus
Arguit Imperio dignum. Patientia duris
Te ſubigit, nulliq; cupit ceſsiſſe labori.
Stas pactis, Promiſſa facis præponis honeſta
Utilibus, magnis nec dedignaris amicis
Sceptrorum fulcire Patres. Conſulta miniſtras,
Et capis, & fidas voces *Calliſtinis* audis.
Quas noctes inſomnis agens contermina cunctis
Finibus *Europæ* mens circumducta moratur,

Et

Et ventura videt, ceu vaſta per æquora raptus
Herculeis infers Bellacia Roſtra columnis
Infidiſve Pares minitantia Bella *Polonis*.
Scilicet ad noſtras nuper pervenit ad aures
Progreſſus *Rex* magne Tuus, *Succeſſibus* urgens
Succeſſus fœlix, Qui ſic reſeraveris oras
Enſe *Poloniacas*, cæptiſq; faventibus aſtris
Per medij iviſti victor *penetralia* Regni.
Nec ſolum *Arctoas* vulgata hæc Geſta per oras
CAROLE ſed noſtros etiam tetigere *Britannos*.
Tuq; potens LEGATE animo lætaris amico
Et *Regi* monumenta ſtruis; Tu celſa *Trophæa*
Erigis & toto manifeſtus *Gaudia* Cœlo.
Auditu ſtupuere *Angli*, viſumq; repente
Fluxerat undivagum vulgus; Civeſq; ruebant
Certatim LONDINE Tui, tantâq; reſixam
Arte novam ſtupuere PYRAM ſuper æthera flammas
Et ſuper attonitas jaculantem Fulgura Turres.
Inde *Gigantæi* ſtabas *Rex* More *Coloſſi*
ALCYDES Sueonum, geminâ inſignite *Coronâ*;
Cui pro tot juſtis meritis, accederet ultrò
Tertia, gemmiferis circumradiata ſmaragdis.
Hanc Extrà erectam complexa eſt *Area* Pompam:
Aſt Intra LEGATUS ovans lætatur, & *Anglos*

Aſciſcit *Dominos*, dapibuſq; epulatur opimis.
Nec pergrata avido deſunt ſpectacula vulgo:
Inſolito dum more, mero vaga *Compita* paſsim,
Et *Plateæ* undanti deſpumavere *Falerno*.
Hæc monumenta, Tuæ *Legatus* (CAROLE) famæ
Struxerit; *Auguſtis* O deſignate *trophæis*!
Cujus magna Manus, Menſq; obſervantior æqui,
Et virtus candorq; omni cantabitur ævo.
Singula complecti cuperem; tot nomina *Recti*,
Virtutumq́; choros, niſi ſe denſiſsima nobis
Factorum offeret ſeries, laudumq; tuarum
Diluvio obruerer. Magni poſt funera *Regis*
Atq; reſignatum poſtquam *Diadema*; labantis
Tu Regni ancipites caſus, & pondera nutu
Librâſti *Dux magne* Tuo, fixuſq; pependit
Gothus, nec dubio titubavit *Vandalus* aſtro,
Et ſibi mutatas ſub Te non ſenſit habenas.
CAROLE quid primũ ſtupeã, quod fraudibus *Heros*
Pluribus obſtiteris; quod nil terrore loqutus
Indignum Solijs fueris, Reſponſa quod unus
Conſilijs dederis quæ mox effecta probaſti.
Nonne vides quoties magna ſtipante caterva
Progrederis *Tibi* tot populos, tot ſurgere gentes
Tot matres, patreſq; loqui proſperima: lætum

Illuxiſſe

Illuxiſſe Diem *Gothis* qua Regia clavo
Admovit Te cura ſuo, quaſſamq; procellis
Flexiſti ratione Ratem; portuq; locâſti.
O mundi commune decus; Sed *Suecia* ſtringit
Prima Comam, geſtitq; ſuo dare Baſia *Patri*
Quo ſecura viget; nectit tunc *Anglia* laurus,
Et decorat ſublime caput, quo vindice magno,
Audet diductis tibi nunc occurrere portis
Bellorum ſecura malis; tunc *Gallius* honoro
Pube Tibi ſubmiſſes adeſt, & *Cimber*, & ingens
Moſcus, & abjectis metuendus *Tartarus* armis.
O Supero *dilecte*. DEO! cui militat orbis,
Et conjuratæ coëunt in fœdere Gentes.
Cujus Belligeros toties victoria Currus
Ambiit, & partis *Palmis* fulſere jugales:
Cui nomen dedit alma *Themis*; *Mavortia* Ferrum
Vis acuit, Pallaſq; Suam fera concutit haſtam,
Obvertitq; Tuis adverſam irata *Meduſam*
Hoſtibus; O pacis Belliq; inviete ſequeſter!
Arbiter *Europæ!* Patriis virtutibus ævum
In ſeros extende Dies, nec deſine noſtris
Eſſe Bonus, Rectorq; Tuis, ut Sentiat iras
Hoſtis, in attoniti dum tu miracula mundi
Progrederis, terramq; novis applauſibus Imples.

Hæctenus *humanas* reſonavimus ore Camænas
Mortali, majora velis? majora dabuntur
Carmina *Dividicis* olim Spirantia plectris
Carmina, Rex, *veſtris* nihil inferiora triumphis.

Pſalm. lxxii. de Boccacij Panegy.

'Dicere jus Regem Populis DEUS arbiter æqui
'Exemplo concede Tuo; fac Regia Proles
'Juſtitiæ correcta Tuæ veſtigiæ ſervet,
verſ. 3. 'Omnis ut ad rectam quadret Sententia normam,
'Pauperibus facilem Judexq; exporrigat aurem.
4. 'Tum ſua Pacati *tollent* faſtigia montes
'Multaq; frugiferis moderamine collibus æquo
5. 'Affluet *Ubertas*, juſto nam *vindice* ſtabit
'Afflicti Fortuna viri, Cuſtoſq; fidelis
6. 'Servabit natos inopum, Qui litis iniquæ
'Conteret artifices; Quo *defenſore* vigebit
'Imperium, dum *Phæbea* ſub lampade mundus
'Deget, & æternæ fulgebunt Cornua Lunæ,
'Longaq; perpetuæ mutabunt ſæcula gentes.
7. 'Irrigat ut ſectas Imber lætiſsimus herbas
'Humoreſq; bibit ſtillantes roſcida Tellus,
8. 'Sic æquo ſub *Rege*, Pius Juſtuſq; virebit
'Blandaq; tranquillo florebunt otia mundo
'Non peritura ſuo, cælo dum *Luna* meatus
9. 'Deſeret & Solito privabit Lumine Menſes.

'Rex

'Rex erit *Heſperij* Maris, & regnator *Eoi*
'Littoris, Auſtraliſq; Illi famulantibus orbis
'Fluminibus gelidam Sceptrũ producet ad ARCTON
'Extremoſq; Sinus, Telluris: & accola vaſti
'*Memnonis* Imperij veſtigia Regis adorans
'Concidet ante Pedes, vultumq; inſcribet arenæ
'Hoſtis, & altrici ſupplex dabit oſcula Terræ.
'Pone Duces Illi *cilicum* Regalia mittent
'Et Medio quæcunque Salo jacet Inſula mittet.
'Munera meſsis *Arabs*, Reges ſua Thura *Sabæi*.
'Inflexiſq; colent Illum cervicibus omnes
'Qui ſacrũ Diadema gerunt; Dominumq; Potentẽ
'Agnoſcent, famulæq; volent ſe ſubdere gentes
'Quotquot erunt, nam *Rex* inopes injuria vexet
'Si ulla reos damno redimet Protector ab omni.
'Deſerto feret auxilium defendet egenum
'Pauperiem miſeratus, opem certamq; Salutem
'In vitæ dabit exitio verſantibus idem:
'Everſoſq; dolis avido ceu fœnore merſos
'Reſtituet, pretiumq; Sinet non vile *cruoris*
'Eſſe inopis *fundi* quem non Impune videbit.
'Vivat & in multos Regnet fœliciter annos
'Dives opum; *Meroes* fulvo ditiſsimus auro
'Incolumis populi votis, & laudibus omni

ᶜ Tempore. Fertilitas *Illo* ſub *Principe* ſummo
ᶜ Vertice Montis erunt. *Libani* nec murmura Sylvæ
ᶜ Tanta ciere queant, agitante cacumina vento
ᶜ Quanta dabunt valido ſpirantes flamine culmi,
ᶜ Florebuntq; ſuis numeroſæ civibus urbes,
ᶜ Veſtit ut irriguos ubertas gramine campos
ᶜ Illius æterno ſe gloria nominis ævo
ᶜ Proroget, & Seclis Solem vivacibus æquet.
ᶜ Rege ſub hoc opibus Gens affluet omnis & ejus
ᶜ Imperium meritâ celebrabit Laude beatum.
ᶜ *Abramidum* ſelecta DEO præconia Soli
ᶜ Conveniunt, Qui cuncta creat non indigus ullo
ᶜ Auxilio, & rerum miracula Conficit unus
ᶜ Majeſtaſq; potens, ejus nomenq; canetur
ᶜ Perpetuo & Terras Decus Impleat illius omnes
ᶜ Ne vacuus ſit laude locus, nec Tempora ceſſent
ᶜ Haud ita votorum firment pia numina ſummam
ᶜ Optatumq; bonis cumulent Succeſsibus omen.

FINIS.